



# Oratio in peregrinationem

<https://hdl.handle.net/1874/214715>


# ORATIO IN PEREGRINATIONEM, QUAM PUBLICICE HABUIT FRANCO VANDER BURCH, IN TEMPLO GALLICANO;

IPSIS KAL. AUGUSTI A. C. 10 CCXLII.

CUM SOLLEMNI PROMOTIONIS PUBLICAE ACTU  
AD ACADEMIAM DIMITTERETUR.



VIRTUTIS ERGO



DELPHIS Apud MARTINUS CARPENTIER

F. P. Eleyoyk del & fecit.

238

СИЛА О

МІЛІОНАРІАТИ

І РАНГО АУДИ БУРСН

ІЗ ТАКІО ГАДЖИ

ІЗАВА СІДІС АІСІС АІСІС

ІЗАВА СІДІС АІСІС АІСІС

V I R I S

*NOBILISSIMIS, AMPLISSLIMIS,  
SPECTATISSIMISQUE*

**CORNELIO SPIERING,**

TOPARCHAE IN SPIERINGSHOEK, VIRO CONSULARI ET SOCIETATIS INIAE ORIENTALIS MODERATORI ETC. ETC. ETC.

AVO SUO MATERNO SUMMA OBSERVANTIA ATQUE HONORE AETERNUM PROSEQUENDO,

**ADRIANO DE BYE, J. U. D.**

URBIS DELFENSIS SENATORI, CUM MAXIME JUDICUM PRAESIDI, ETC. ETC. ETC.

AVUNCULO AD ROGUM USQUE COLENDO,

**ADRIANO BOOGAERT, J. U. D.**

AERARII DELFLANDIAE PRAEFECTO  
ETC. ETC. ETC.

PATRUO SUO OMNI HONORE ATQUE OBSERVANTIA HONORANDO

H A S

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

L. M. Q. D. D. D.

**FRANCO VANDER BURCH.**

ИСКУССТВО  
САДОВНИЧЕСКОГО  
ДЕЯНИЯ  
ПОД РЕДАКЦИЕЮ  
АДРИАНО БОДРОГО  
И СОСТАВЛЕНИЕМ  
АДРИАНО БОДРОГО  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГ  
1823

FRANCONIS VANDER BURCH  
ORATIO,  
IN  
PEREGRINATIONEM.

---

NOBILISSIMI ET GRAVISSIMI GYMNASII  
DELFCI CURATORES.

PRAETOR URBIS, VIR HONORATISSIME.

AMPLISSIMI, SANCTISSIMI, INCLITAE HU-  
JUS CIVITATIS CONSULES, JUDICES, SE-  
NATORS, QUIQUE IIS A MANU ET CON-  
SILIIS ESTIS, VIRI PRUDENTISSIMI.

ORACULORUM COELESTIUM INTERPRE-  
TES FIDELISSIMI, DISERTISSIMIQUE.

A

ARTI-

## 2 O R A T I O

ARTIUM QUARUMLIBET DOCTORES, CULTORESQUE ERUDITISSIMI.

STUDIOSAE JUVENTUTIS MODERATORES  
DOCTISSIMI, DE ME STUDIISQUE MEIS  
OPTIME MERITI.

QUOTQUOT PORRO HUC CONVENISTIS,  
CIVES, HOSPITES, ADVENAE, CUJUSCUM-  
QUE LOCI ATQUE ORDINIS AUDITO-  
RES EXOPTATISSIMI.

TU DENIQUE COMMILITONUM MEORUM  
TURBA JUCUNDISSIMA, SPES ET DECUS  
PATRIAE.



Agna sane & praeclara res  
est Tranquillitas animi ,  
qua quisque secum habi-  
tat , sibi confidit , gau-  
det , in secundis laetatur ,  
in adversis nil praeter de-  
corum commovetur , ac  
semper sibi aequalis forte  
sua contentus vivit . Haec sane est ista fere-  
nitas animi , vera ista *iuvenia* , quae summo jure  
divi-

# IN PEREGRINATIONEM. 3

divina & possit & debeat adpellari, magnamque partem possessores suos beatos, immo naturae divinae faciat participes. Hinc, quantacumque sit ingeniorum diversitas, morum discrepantia, cupiditatum pugna, in hoc tamen cardine omnis tam varius studiorum orbis vertitur, in hoc tam discors turba consentit, ut hanc animi Tranquillitatem maxime optandam atque omnium votis expetendam censeant, ita ut, qui omnem hominum vitam hujus rei respectu discordem concordiam adpellarit, meo quidem judicio haud multum a veri tramite aberraverit.

Quis itaque non videt, Auditores exoptatissimi, omnia ista, quae molesto cum tumultu & confuso rerum variarum pondere geruntur, nullo equidem fructu, nisi ut animus in mille partes distractus a jucundissima sibi sede deturbetur, ac praecipitetur, remis, quod ajunt, velisque cane pejus & angue fugienda atque evitanda? Inter haec autem non infimum sibi locum vindicat Peregrinatio, quae, ut verissime Philosophorum ille judicat Princeps (*a*), nullas umquam temperavit

(*a*) Senec Ep. 104.

## 4 O R A T I O

vit voluptates, nullas refrenavit cupiditates, non iras repressit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non judicium dedit, nec errorem excusavit: ita ut nil discrepent haec a divina ista Vatis sententia, Peregrinationem esse coeli, non autem animi mutationem.

Hoc ipsum, Auditores, dum firmissimis argumentis certisque rationibus convictus adstruere conor, adtentas quaeso aures & benignas mentes, id quod etiam atque etiam rogo, adhibete. Quam benevolentiam, si mihi haud denegare volueritis, ut jam ex hilariori, qui in vultibus vestris renidet, favore, tamquam ex laetis quibusdam auspiciis conjicio, dabo equidem operam, ne vestra in me audiendo patientia verbosa loquacitatis ostentatione abusus esse existimari possim.

Ut autem recte atque ordine mea haec procedat **Oratio**, dilucide vobis ostendere atque adprobare conabor, Peregrinationem primo in justam, secundo difficultem admodum, periculofam ac molestam, tertio denique non tam inutilem quam damnosam & noxiā habendam esse.

Quod ad primum attinet, videntur mihi in aliena involare peregrinantes & non contenti rebus suis

## IN PEREGRINATIONEM. 5

suis vicinorum turbare possessiones, inde deduci non sine istorum Populorum detimento ac damno, quod cuique maxime placuerit, & suis ac legitimis possessoribus subsfurari licuerit. Quod quam injustum sit, nemo non videt.

Ut autem tam inpiis cupiditatibus, sic puto; obviam iret sapientissimum Numen, singulis gentibus suae datae sunt terrae, & quascumque regiones suis distinxit limitibus ac terminis, intra quos unaquaeque gens sedes proprias haberet, nec ad peregrinas longeque dissitas transvolaret oras. Maria voluit esse latissima atque aestu suo saeva & tremenda, fluvios jussit ire rapidissimos, vastissima montium juga constituit, quibus homines ab hominibus arcerentur, & quae transire insigne quidem foret nefas. Sed pro dolor! humana audacia, humana, inquam, audacia, Auditores, vel ipsius Jovis placito adversari audet. Cognoverat hoc jam olim Venu sinus Vates (*b*), ideoque non sine summa animi indignatione & moerore exclamantem eum alibi & his fere verbis merito ejulantem audimus:

Pro-

(*b*) Lib. I. Od. III. v. 21.

## 6 O R A T I O

Profecto, Hospes, nec quidquam Deus haec spatia sedesque ab orbe vestro abscidit, si tamen vos terræ fines transilitis, navesque sceleratae vada, haud temere tentanda, transeunt! Nihil deinceps erit arduum mortalibus, Coelum ipsum adibitis stultitia, & quidquid praeterea homini, dum in terra vitam agit, merito negatur.

Quae cum ita sint, nec a quoquam Vestrum, sic opinor, nisi ab inconsulto forsan Juvene in controversiam vocentur, quid miramur? Auditores, adcolas quondam ponti Euxini, qui olim ab inhospitali ista feritate, ut Plinius (*c*) verbo rei minus conveniente scribit, *Axenus* adpellabatur, hospites & peregrinantes male excepisse atque a finibus arcuisse. Quid? anne aliam ob caussam ab iis hoc factum credibile est, quam ut ab impetu hostili & perversa aliorum cupiditate ac inopia direptione sua defenderent, hostemque removerent? Tot sane ac tantae peregrinantium injuriae aliis inflatae se nunc animo meo obferunt, ut si easdem commemorare vellem, non dico haec hora, sed dies & latera dicentem deficerent.

Qua-

(*c*) Lib. VI. Nat. Hist. cap. 1.

## IN PEREGRINATIONEM. 7

Quare ne rei clarissimae tenebras obfundam, in pauca contraham, & porro Peregrinationem difficultem admodum, atque molestiis & periculis plenissimam esse manifestis indicis docebo.

Hic de continuo motu, quiete rara aut prope nulla cogitandum est. Relicta semel patria, quamprimum dulcissimo otio nuncius mittendus. Jam ardui superandi montes, jam cum summa & horribili trepidatione in cavas descendendum est valles. Jam flumina rapidissima etiam cum instantis mortis periculo sunt trajicienda. Jam per silvas eundum densas & formidolosas. Hic contra comites parum fidos circumspete vigilandum: a latronibus hinc inde insidiantibus adcurate est cavendum. Quod si homines hisce molestiis ac periculis satis defatigati sunt, modo cum solis ardoribus est pugnandum. Rursum nivem & glaciem, dum vix reptando vermiculorum instar progrediuntur, novos patiuntur adgressores, quibus vix resistendo pares sunt. Jam a via aberrantes sub dio pernoctare coguntur, & ubi nihil timendum, timent tamen.

Quibus & longe pluribus jam superatis, ad diversoria, si modo ulla in vicinia reperiantur, concedendum est. Hic quum paullulum corpora

## 8 ORATIO

pora reficiunt, non nisi cum molesta cogitatione est reputandum, rem sibi esse cum cauponibus torvis & avaris, qui, quod aurifer ipsis quotidie non fluit Tagus, absque ullo dubio ex peregrinantium marsupiis conflandae sibi pecuniae rationem invenient. Sumta ad momentum quasi temporis quiete, rursus de nova via, de admiculis ad illam necessariis, de praediis nobilioribus, de arcibus, de hortis in media via cognoscendis & sexcentis aliis, nescio quibus, de novo sollicitate est instituenda cura. Absunt hic domesticae lautitiae, absunt honesta convivia, stragulorum & lectulorum deliciae, absunt umbracula contra solem, focique contra brumam & frigora. Ad sunt vero omnia, quae vexare continuo hominem non desinunt.

Omnia, ut breviter dicam, toleranda mala, omnis devoranda molestia, imbrues & frigora, fitis & fames excipienda & toleranda. Quibus ut quis optimo modo fese expedit, noctes dieisque intentus esse debebit. Atque his implicatus molestiis & curis vix ullam sanae mentis cogitationem fovebit, sed delirus quasi & turbatus animo dulcissima illa & frugifera carebit mens Tranquillitate.

In-

# IN PEREGRINATIONEM. 9

Inquiet vero aliquis, praestantissimi omnino sunt fructus, qui ex ipsis quasi colliguntur arboribus: gloria omnia emolumenta, quae ex Peregrinationibus percipiuntur, quaeque non sine magno detimento generis humani possint negligi. Egregie sane! videat tamen, quo re leget verissimum hoc Poëtae (*d*) effatum:

*Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.*

Et qui fructus illi? quae emolumenta? an sapientiae & eruditionis acquirendae? nae insigniter fallitur, quisque hoc sibi inponi passus fuerit. Sapientiam & eruditionem quicumque quaerere instituit, domi maneat, iisque utatur subsidiis atque instrumentis, quae ad metam illam contingendam faciunt. Studia optimarum literarum acquiruntur sedendo, non vagando aut currendo. Scripti sufficienes libri sunt, doctrina sapientiaque clari & insignes, scribuntur, scribenturque, e quibus ista, quae foris quaeruntur, ac longe etiam plura, commodiore

via

(*d*) Horat. Lib. I. Epist. XI. v. 27.

B

# IO O R A T I O VI

via cognoscantur. Quidquid post hominum memoriam apud omnes gentes , omnibus seculis , dictum aut factum , si modo memoria dignum , hoc omne libri continent , nobisque conservant. Ex libris igitur sapientia , ex libris tamquam optimis consultoribus , commodissime eruditio hauritur , & sua quisque patria reperit , quae quamcumque juvent vitae conditio- nem. Stolidus , me Hercule , error existimandus est , apud exterros cum magna difficultate & periculo velle quaerere , quod domi facile parare & habere possis. Nec est , quod mihi credatis , Auditores humanissimi , at credite Vi- ris famae , eruditionis & sapientiae laude inter Historicos omnis aevi & Poëtas florentissimis. accipite , quaeſo , ne aliorum vos testimoniis ene- cem , accipite , inquam , Flacci (e) verba ad Bellatium ita fere scribentis : Gravis equidem vos tenet socordia. Navibus atque quadrigis vitam quaeritis beatam. Atqui hic est illud , quod cupitis , est Ulubris , si modo mens aequa non defuerit.

At major probitas vitaeque integritas iis para- bitur

(e) Horat. Lib. I. Ep. XI. v. 28.

## IN PEREGRINATIONEM. II

bitur itineribus. Hoc vero quam sit vanum & ridiculum a longis annis experientia, etiam stultorum magistra, docuit.

Qua ratione fidem vestram! Auditores huminissimi, fiet, ut, qui domi ingenio fuerit levi & ventoso, animoque molli & effeminato, apud exteris fortis evadat & bonus. Spectate, quaeſo, mecum hominem peregrinantem. Hic jam itineri adcinctus, ut plurimum Juvenis, custode remoto, ſui jam juris factus liberam statim ſolutamque quidvis agendi na&ctum ſe potestatem putabit. Quocumque perveniet, ad eos perveniet, qui non minus quam ipsius populares fuerint corrupti, ex quorum ipſe contagione haud leviter inficietur. Non rationem; ſed naturam ſequi voluerit, non ad leges; ſed ad exempla respicere, & quae periculofiffima infelicitatis vitae instituta prudentiſſimus Ulixes tamquam infames scopulos furda atque obturata aure praeterve&tus eſſe dicitur, bellus homuncio non tantum in oculos, ſed & in aures, aurium aſinorum instar patulas, immo, quod damnosifffimum eſt, in animum ipsum immittenda ceneſebit. Mox deinde quaſi lotum gustaffet, oblitus patriae etiam reditus obliuſcitur, nec a turpibus externisque voluptatibus

## 12 ORATIO

abstrahi, immo ne divelli quidem se patietur. Aut domum tandem redux φαντασίας μετὰ πολλῆς sese ubique conspiciendum praebebit, nec amicos aut propinquos amplius noverit, ut prae se contemtos & vanos. Sese elephantem, alios muscas habebit. Auctoritatis scilicet parandae caussa mores domesticos contemnet ut rusticos. In circulis maxime muliercularum blanda sibila ab nocte composito ore profundet. Unguentis madidus, comis egregii artificis manu & ad speculum compositis, modo suave cantillans, modo inter lepidos jocos barbara verba patrio sermoni admiscens, venuste ad elegantis artis numeros agile corpus movebit, inclinabit, flectet. Inter juvenes ludo & frigidis jocis integros dies absumet, genialesque vesperas alea & vino componet. Narrabuntur sphaeristeria, cauponulae & thermopolia ad digitum enumerabuntur: profarentur velut e pugillaribus compotationes, & quod deterius est, de nocte per vicos concertationes & grassationes. Aut, ne quid gravius dicam, noster hic Heros de Lycisca aut Laelape loquetur, Lydias aut Amaryllidas, Cynthiae cantabit, immo de lana caprina aut asini umbra, quasi cum hoc animali quidquam sibi commune esset, sermones proli-

XOS

## IN PEREGRINATIONEM. 13

xos etiam ad auditorum nauseam contexere noverit. Et dum illi in lingua haerebit una vel altera vocula peregrina aut Gallula, summa supinaque in mente latebit ignorantia. Quam sic turpe est mansisse diu vacuumque rediisse!

Infelior autem longe existit ille, qui, quum tantum discurrit & regna regionesque varias per vagatus est, revertitur domum reipublicae haud ita raro cum Pausania novator & turbator: aut ingenti farragine vitiorum onustus domum reportat paterni moris fastidium, valetudinem vetero quasi vacillantem atque infirmam, praetereaque nihil.

Haec jam est illa vitae integritas, illa deposita rusticitas, quam quis ex utilissima, si Dis placet, peregrinatione consequitur. Haec sunt divitiae, hi sunt fructus illi, quos e fortunatis illis insulis & cornu copiae adlatos peregrinator in dilectissimae patriae sinum effundit, non solum suo cum damno & probro, sed & pessimo civium suorum & exemplo & detimento.

Laudatissima fane fuere & nunc sunt veterum a vaga peregrinatione abhorrentium exempla. **Claudius AElianuſ (f) Praenestinus** ille Pontifex

(f) Vid. Philostratum de Vitis Sophistarum Lib. II.

## 14 ORATIO

fex & Sophista, cuius scripta tanto cum fructu omnium manibus hodie teruntur, hoc nomine etiam in magna fuit auctoritate & honore, quod patrii moris cum primis studiosus pedem ex Italia numquam extulerit, attamen tanta Graecae etiam linguae intelligentia instructus fuisse dicatur, ut nec Attici magis Attice promptiusve loquerentur. Pomponius Laetus (*g*) numquam Roma exivit, malebatque apud suos antiquae virtutis exempla imitari, quam cognoscere rerum in toto terrarum orbe paeclare gestarum imagines. Quid? quod M. Cato (*b*) & alii priscae integritatis Viri palam conquesti semper fuerint, externas disciplinas ac linguas frugalem populi Romani vitam ac masculam virtutem corrupisse: cum Graecis & peregrinis moribus in civitatem inrupisse mollitiem, luxum, gulam, ebrietatem, & omnia turpitudinis genera. Plura veterum ac sapientissimorum hominum testimonia prudens praetereo, ne nullam temporis rationem habuisse videar. At pulcra nimis sunt, quae de sene quodam Veronensi, qui suburbium num-

(*g*) Voss. de Hist. Lat. Lib. III. Cap. VIII.

(*b*) Vid Pichium in Hercule Prodigio p. 77.

# IN PEREGRINATIONEM. 15

numquam egressus est, nobis reliquit Claudianus, (i) ut ea silentii peplo involverem:

*Felix, qui patriis aevum transegit in agris,  
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem:  
Qui baculo nitens in qua reptavit arena,  
Unius numerat secula longa casae.  
Illum non vario traxit fortuna tumultu,  
Nec bibt ignotas mobilis hospes aquas.  
Non freta mercator tremuit, non classica miles:  
Non rauci lites pertulit ille fori.*

Et in fine hujus epigrammatis ita definit.

*Erret, & extremos alter scrutetur Iberos  
Plus habet hic vitae, plus habet ille viae.*

Sed quid privatorum hominum huc arcessimus exempla, quum ingentium populorum, eorumque clarissimorum auctoritatem habeamus. Veneranda erat Lacedaemoniorum (k) disciplina, quam adcuratissime servari voluerunt, ut nemini foras progredi vel a patria peregrinando recedere fas esset.

(i) Epigramm. II.

(k) Cragius de Rep. Lacedaem. Lib. III. Cap. IV.

## 16 O R A T I O

efset. Athenienses in hoc incubuerunt sedulo, ut a mari tamquam improbitatis magistro cives suos abducerent. Carthaginenses, eos, qui in Sardiniam aut ad Herculis columnas adnavigasset, demergi volebant. Et ipsi Indi adeo peregrinantur osores existiterunt, ut non nisi triduo hospitem apud se divertere paterentur, ne scilicet longo usu corrupti peregrinorum mores addiscerent, aut levissimorum hominum instar a patriis institutis degenerarent.

Quae cum ita sint, ut revera sunt, quis negabit, Auditores? optime mortalium generi ab omnibus iis consuli, qui spreto neglectoque negotio hoc, tam dissentiente ab ipsa Diva ratione, tam periculoso, tamque inutili, & clarissimis Viris, ac conjunctis integrarum Rerum publicarum suffragiis merito damnato, domi maneant, apud focos & Lares suos inter optimos consulatores mortuos placidissime resideant, bonae menti cum tranquillitatis possessione sedulam dent operam, & confidescere malint in quiete, quam infinitis vexari turbis, atque infelicissimis bonarum mentium impedimentis & continuis conflictari molestiis.

D I X I.

ELEGANTISSIMO ATQUE  
ORNATISSIMO  
JUVENI,  
FRANC. VANDER BURCH,  
MUSAS DELFICAS VALERE JUBENTI.

**M**usarum *praedulcis amor, Phoebique vo-*  
*luptas,*  
*Raraque Piërii curaque amorque*  
*chori:*  
*Cum venit illa dies, qua Tu, Jucunde Sodalis,*  
*Digna feras studiis, Pallade dante, tuis:*  
*Grande nefas nostrae fuerit siluisse Camenae,*  
*Utque aliquo ludat carmine poscit amor.*  
*Salve laeta dies, albo decoranda lapillo,*  
*O Lux! o fausto lumine plena dies!*  
*Scilicet est aliquid Studiorum carpere flores,*  
*Gaudet & his sero laeta senecta die.*

C

Gra-

*Gratulor ex animo pretiosa laboris, Amice;*  
*Munera, Virtutis quae monumenta tuae.*  
*Plaudite Piërides, Parnasi montis alumni*  
*Plaudite, Piëriis invigilate Choris.*  
*Nunc resonet plausu, resonet nunc laudibus aether,*  
*Et laeta Comites voce, Triumphe, canant!*  
*Macie tua virtute, precor, sic astra petuntur,*  
*Invia virtuti non erit ulla via.*  
*Dent Tibi Nestoreos bona Numinia vivere in annos,*  
*Et lacti veniant ac sine nube dies!*  
*Vive valeque diu, nostri non inmemor umquam*  
*Perstet in aeternum, qui bene crevit, amor!*

JOANNES HUGO VAN STRYEN.

COMMILITO.

O R-

ORNATISSIMO AC PRAE-  
STANTISSIMO  
JUVENI,  
FRANCISCO VANDER BURCH,

L U U M

ORATIONE IN PEREGRINATIONEM FELICITER  
HABITA, AD PUBLICAS PRAELECTIO-  
NES PROVEHERETUR.

**P**hoebe, si quando licuit Camenae,  
*Versibus carum celebrare nomen,*  
*Ipsa nunc laetum valeat, precamur,*  
*Fundere carmen.*

*Dum tuus Vates, Themidosque cultor*  
*Suadet, ut vitent Juvenes remota*  
*Regna, nec linquunt patrios Penates,*  
*Ore diserto.*

*Et probat cunctis, peregre vagantes*  
*Ut Sacras leges, hominumque Jura*  
*Transeant, quantos subeant labores*  
*Notte dieque.*

*Gratulor fructus studii Sodali,  
Gratulor primam tetigisse metam:  
Porrigit quam docta Tibi Minerva,  
Accipe Laurum.*

*Audio ternas Charites decoras,  
Najades blandas, Aganippidesque,  
Et Tuas Phoebum lepido canentes  
Carmine laudes.*

*Sic bonis pergas Studiis dicare  
Tempus, obtestor, juvenile, Burchi,  
Ut ferat laudes meritas patentem  
Fama per Orbem.*

*Sic Deum blandis precibus verendum  
Comprecor supplex, venerabor usque,  
Ut tuis adsit Studiis benigno.  
Numine semper.*

**SIMON BOITET,**  
**COMMILITO.**

A A N D E N  
H E E R E,  
F R A N C O V A N D E R B U R C H,

*Wanneer Zyn Ed: na eene openbaare Reedenvoe-  
ring teegen het UITLANDIG ZYN van  
de Delfsche Schoolen scheidde.*

**H**Y, die manmoedig als een Held  
Zig kwyt in 't woedend Oorlogsveld,  
En in het heevigst' nooit zyn' Vyand wil ontwyken,  
Ontfangt in 't einde ook heldenloon,  
Gaat met den Eereprys van de overwinning stryken  
En krygt op 't hooft een Glorykroon.



Dus werde V A N D E R B U R C H altyd  
Zig dapper in den Letterstryd,  
Nooyt zag men hem te laf het worstelperk ontvlieden,  
Zyn moed en voet stond altyd pal  
Om Zynen vyand stâag weèr tegenstand te bieden,  
Hy vreesde schicht nog ongeval.

D

Nu

Nu zie 'k ook mynen waardsten Vriend,  
Die door Zyn' daaden lof verdiend,  
Zeeghaftig praalen met de blinkende laurieren,  
Die weits om Zynen scheedel staan,  
Nu doet Zyn wakk're vlyt Hem heer'lyk Zeegevieren,  
Met frisse palmen overlåan.



Hoe moedig wend hy nu zyn' stap  
Als in Triumph ten Kanseltrapp'!  
Hy voelt het yvervuur thans in zyn boezem blaaken;  
Hoe klinkt het ruime Tempelkoor!  
Hoe weet Hy op 't gemoed een' ingang zig te maaken!  
Hoe streeld zyn gladde tong 't gehoor!



Dus toond Hy als een Reedenaar  
Aan ons 't rampspoedig lyfsgevaar,  
't Geen hem , die uyt zyn Land en Vaderstad geweeken.  
Elk oogenblik te wagten staat,  
En hoe men te onbedagt op akelige streeken  
En vreemde weegen zig verlaat.



Zyn Oordeel met Vernuft gepaart  
Bewijst hoe los en wuft van aart  
Een sterveling door drift van eerzugt aangedreeven  
Zyn' eygen haart en vuur verlaat,  
En nog een'schoonen glimp zyn oogmerk weet te geeven,  
Dat hy om Wysheyds schatten gaat.

Maar

Maar neen; Zyn welbespraakte mond  
Onvouwende ons deez' lozen vond  
**Toond** hoe men Wysheyd met geen afgematte leeden  
Gefolterd door de teegenspoed  
**In 't eenzaam' Zand of Bosch,** met zorgen te betreeden,  
Maar in eene enge Cel ontmoet.



Dit schoon vernis, dat spieg'lend 't schynt,  
Hoe zeer 't ons oog verblind', verdwynt  
Nu voor den luyster van het helder ligt der reeden,  
Wanneer Hy geestig ons verklaart,  
Dat hy een broeinest voed van veel bedorven zeeden,  
In plaats, dat hy daar wysheyd gaart.



Zyn Geest, die ons nog hooger leydt,  
Staat ook hoe de Opper Majesteyt,  
De Schepper van 't heelal, de Aardsgoedheyd noyt vol-  
preezen,  
Die Troon-Monarch, die 't al regeert,  
Elk Volk zyn eygen land en erv' heeft aangewezen,  
Daar 't veyligst by elkaar verkeerd.



Dus toont zyn jong dog scherp Verstand  
Zyn' liefde tot Zyn Vaderland,  
Geen wonder: 't eedel bloed van zyne braave VAD'REN,  
Door wys beleyd alom vermaard,  
Van Elk om deugd bemind, speelt hem alreets door de  
ad'ren,  
Niet van hunne oude trouwe ontaard.

Vaar dus regtschaape Telg dan voort,  
 Daar U der Ouderen voorbeeld spoort:  
 Dien't Land den naam steeds zal van wyze Nestors gheeven:  
 Wier waakzaamheyd een yder roemt:  
 Wier lof altyd in 't hart der Vroomen hier zal leeven:  
 Die't Prins'lyk DELFT zyn' zuylen noemt.

## QQ

Wat vrugt belooft Uw zoomertyd  
 U niet uyt de aangewende vlyt!  
 Begaayde VANDER BURCH! daar 't prilste van Uw'  
 Jaaren  
 U die reets schenkt in overvloed.  
 Wat zuld ge een' ryken oogst en voorraad U vergaaren!  
 Wanneer Uw rype herfst ons groet.

## QQ

Dus spoedt Gy U vol vuur dan heen  
 Naar 't Wysheyd-kweekend LEYDS ATHEEN,  
 't Geen U daar noodigt in zyn' leerzaame Oeffenzaalen;  
 Hier ziet men Gryze Weetenschap,  
 Haar' Heyl'ge Priesters en haar' hofstoet glansrykpraalen,  
 Gesteegen tot den hoogsten trap.

## QQ

Verrigt gezeegend hier Uw' plicht,  
 Tot dat me U als een flonkerlicht  
 En held're Noordstar der Geregtigheyd ziet blinken,  
 Zoo word Ge in Stad en Staat-Bestuur,  
 't Zy't Schip in kalmte dryv', off dreig' ter neêr te zinken,  
 Een altyd wakk're Palinuur.

## JOANNES SPAAN.

Phil. & Litt. Stud.